

cepto, cum nullam assignauerit per tempora perditam capitaleque, nec restituerit ipse ser Cressius dicto ser Francisco, nec dictis suis filiabus et heredibus, nec etiam ipsi sui comissarii instituti ut supra, licet pluries et de plano a me Johanne, dicto nomine, extiterint requisiti, igitur omni modo, uia, iure, usu et forma quibus melius possum, dicto nomine, peto per uos dominos iudices antedictos, dictos comissarios, dicto nomine, ad mihi, dicto nomine, dandum, soluendum et restituendum dictos ducatos ducentos pro capitale predicto et lucrum quod inde sequi potuit, annis uiginti duobus elapsis, ad rationem decem pro centenario quibus lucrum fieri potuit, salua maiori taxatione per uos dominos iudices fienda, et penam in instrumento dicte societatis appositam, sententialiter condempnari, saluo mihi Johanni, dicto nomine, iure addendi, minuendi, etc. ». Et uisa districta<sup>1)</sup> data dicto Johanni de Bruno, procuratorio nomine quo supra, per Volcum preconem communis Jadre, cum scitu et licentia tribuni curie Jadre, in bonis dicti quandam ser Cressii, propter contumaciam dictorum comissariorum dicti quandam ser Cressii, ut in actis apparet ac notificatione facta per suprascriptum Volcum preconem dictis comissariis dicti quandam ser Cressii de dicta districta data; et uiso quodam publico instrumento, producto coram nobis in iuditio, per dictum ser Johannem de Bruno, procuratorio nomine quo supra, scripto manu ser Nicolai Dominici de Vegla, notarii et officialis iurati communis Segnie, sub anno domini a nativitate M<sup>o</sup>III<sup>c</sup>LXXIII, indicione XI, die XVI mensis augusti; item instrumento procurationis facto per suprascriptam dominam Fumiam in personam domine Elisabet matris eius, scripto manu suprascripti Nicolai notarii, in M<sup>o</sup>III<sup>c</sup>LXXXVI, indicione IIII, die VIII mensis martii a nativitate; item alio publico instrumento procurationis, facto per suprascriptam dominam Magdalena in personam suprascripte domine Elisabeth, scripto Arbi manu Nicolai quandam Johannis Matei de Padua notarii et cancellarii ciuitatis Arbi, in M<sup>o</sup>III<sup>c</sup>LXXXVI a nativitate, indicione IIII, die VII mensis aprilis; item alio publico instrumento procurationis, facto per suprascriptam dominam Catarinam in personam suprascripte domine Elisabeth, scripto manu suprascripti Nicolai quandam Johannis Matei cancellarii Arbi, in M<sup>o</sup>III<sup>c</sup>LXXXVI, indicione IIII, die XXIII mensis martii; item alio instrumento substitutionis procuratoris, facto per suprascriptam dominam Elisabeth procuratoriis nominibus antedictis, in personam ser Johannis de Bruno, cuius Justinopolitani, scripto manu mei notarii infrascripti in M<sup>o</sup>III<sup>c</sup>LXXXVI ab incarnatione, indicione IIII, die ultimo mensis aprilis, CHRISTI NOMINE inuocato, pro tribunalu sedentes, ad nostrum solitum bancum iuris, sub logia magna communis ut moris est, in hiis scriptis sen-

1) Per questa «districta» vedasi il documento seguente :

« Millesimo CCCLVIII, die XXVI mensis aprilis.

« In maiori Consilio firmatum fuit quod si qua pars citata coram Curiis inferioribus fuerit «contumax et contra eam comissa fuerit districta, illa talis districta durare debeat tribus diebus, «postquam fuerit accepta. Verum si infra terminum predictum trium dierum, pars illa contra quam «data fuerit dicta districta, comparuerit in iudicio, et procedere voluerit in causa, iudices super ipsa «procedere teneantur, sed si infra dictum terminum dicta pars non comparuerit, tunc elapxo dicto «termino, dicti iudices ad diffinituim sententiam procedere teneantur.

« Et ego Peronus notarius consiliarius scripsi prout inueni ».